QUAESTIONUM

CRITICARUM ET EXEGETICARUM

IN

SOPHOCLIS OEDIPUM COLONEUM

SPECIMEN.

SCRIPSIT

CHRISTIANUS FRIEDERICUS SEHRWALD
PHILOSOPHIAE DOCTOR.

ALTENBURGI
EX TYPOGRAPHEO AULICO
MDCCCLXIV.

Quum collega noster honoratissimus et doctissimus Joh. Gottl. Zetzsche, professor illustris gymnasii Altenburgensis, hoc tempore valetudine ita esset praepeditus, ut eam, quam inchoaverat, commentationem ad finem non posset perducere, eo lubentius equidem, quamvis admodum paucae hebdomades anni scholastici reliquae essent, hoc solemne scribendi munus suscepi, quod hac occasione oblata mihi observationibus illis criticis in Sophoclis Antigonam et Oedipum Regem superiore anno editis novas aliquas jam in ejusdem poetae Oedipum Coloneum licebat addere.

Videtur autem hodie, postquam tot doctissimi viri saepe frustra operam in fabulis Sophocleis emendandis consumserunt[1]), sane, ut Horatii verbis utar, *opus* esse *plenum aleae* novas conjecturas in illas tragoedias in medium proferre. At quis nescit, praesertim ex quo codice Laur. A accuratius collato poetae verbis quasi novum fundamentum quoddam substratum est, carmina illa judicio doctorum omnium aetatum hominum probatissima adhuc innumeris maculis librariorum culpa inquinata esse[2])? Quo quis igitur acriore Sophoclis amore flagrat, eo justiorem et apud se et apud alios excusationem habebit, si alieno infortunio non deterritus[3]), quantum ipsi licet, in pristina huius praeclarissimi poetae verba summo studio inquirere pergit. Atque quum nemo horum studiorum exsistat amicus, quin, et si unum tantum Sophoclis locum adhuc depravatum in pristinam integritatem videat restitutum, toto pectore gaudeat atque laetetur[4]), fortasse mihi quoque sperare licet operam a me in Sophocle positam aequis judicibus haud prorsus ingratam fore.

V. 9 *ἀλλ', ὦ τέκνον, θ ά κ ο ι σ ι ν εἴ τινα βλέπεις*
ἢ πρὸς β ε β ή λ ο ι ς ἢ πρὸς ἄλσεσιν θεῶν,
στῆσόν με κἀξίδρυσον.

Multum negotii hi versus interpretibus ob dativum *θάκοισιν* facessiverunt. Nam jam pridem et jure quidem explosa est sententia eorum, qui ut Brunckius hunc locum verterant: *si quem hominem vides vel profana in exedra sedentem.* Neque enim de homine est sermo, sed de sede, in qua Oedipo itinere fesso requiescere liceat. Fuerunt autem alii, qui ut Elmslejus *θάκοισιν ἢ πρὸς βεβήλοις, εἴ τινα θᾶκον βλέπεις* construerent vel cum Reisigio *θάκοισιν ὡς πυθοίμεθα* jungerent. Rectissime vero G. Hermannus hanc utramque construendi rationem improbavit. Nihil igitur restitit nisi statuere *θάκοισιν* ex alio verbo corruptum esse. Huius opinionis fere omnes recentiores editores fuerunt mira concordia Seidleri conjecturae *θάκησιν* assensi. Quamquam negari non potest nomine *θάκησιν* sententiam plane accommodatam effici, tamen omnino non constat, num umquam Graecis istud substantivum *θάκησις* in usu fuerit. Nam illud *ἐνθάκησις*, quod Phil. v. 19

---

[1]) Rectissime de hac re Spengelius Philol. vol. XIX, p. 437: Wer die Geschichte des Sophokleischen Textes in diesem Jahrhundert kennt und grossentheils mit erlebt hat, weiss auch den Unterschied von einst und jetzt; *gearbeitet wurde viel, gewonnen wenig.*

[2]) Idem Spengelius l. l.: es hat sich inzwischen festgestellt, *dass der Text weit weniger rein erhalten sei, als man vordem glaubte.*

[3]) Sane deterrere possunt, quae Spengelius l. l. de Nauckii conjecturis palam profitetur: *Von den mehr als hundert Vorschlägen Nauck's kann ich nur eine Aenderung für richtig halten* (wohl nicht deswegen, weil ich sie längst selbst gemacht hatte), nämlich O. C. 654 *μ' ὁρᾶν* für *με δρᾶν.*

[4]) Sic Spengelius l. l. p. 438 de conjectura illa a Maehlyo in O. C. v. 321 proposita gavisus est his additis verbis: *ein einziger solcher Fund, er komme, von wem er wolle, erfreut und entschädigt für hundert Missgeburten.*

legitur, e composito verbo ἐνθακεῖν est formatum. Exstitisse autem re vera θάκησις non ex analogia quadam, sed solo exemplorum testimonio probari necesse est. Sed ad hunc diem θάκησις nullo veterum Graecorum monumento exhibetur. Nam in illum versum ex Aleadarum fragmento, quod apud Stobaeum Flor. XCI, 27 legitur, nunc demum Meinekius conjectura minime probata substantivum θάκησις intrusit. Quae quum ita sint, θάκοισιν in θάκησιν mutare mihi periculosissimum esse videtur, illud vero multo probabilius Sophoclem θᾶκον σύ γ' scripsisse, quae verba et ipsa cum θάκοισιν facillime poterant commutari. Saepe autem factum est, ut pronomen σὺ nomini compellatae personae postponeretur, velut in h. f. vv. 507, 712. Oedipus hoc pronomine adjecta particula γε (σύ γε autem saepissime legitur apud Sophoclem) se omnia unius filiae carissimae ac providentissimae arbitrio permittere haud obscure significavit. Rhythmus autem huius versus idem est, qui h. f. v. 353. — Sequenti versu male mihi omnes interpretes βεβήλοις pro substantivo accepisse videntur. Βέβηλα, inquit Dindorfius, *genere neutro dicit pro βεβήλοις τόποις, ut v. 167 ἄβατα dixit ἀβάτους τόπους.* Si hoc quoque loco nominativus vel accusativus reperiretur, de substantivo usu huius verbi dubitari non posset, sed quum substantivum ἄλσεσιν sequatur et βεβήλοις dativus sit, prorsus improbabile est βεβήλοις hic substantivi locum obtinere. Accedit quod Oedipus, utpote via et sole fatigatus, ante omnia sedem in umbroso nemore sive profano sive sacro desiderat. Quare equidem construo: ἢ πρὸς βεβήλοις ἄλσεσιν ἢ πρὸς ἄλσεσιν θεῶν. Apparet autem insolentiore verborum collocatione interpretes in errorem inductos esse. Βέβηλον ἄλσος autem etiam apud Aeschylum Suppl. v. 493 legitur: καὶ πῶς βέβηλον ἄλσος ἂν ῥύοιτό με; Ille vero locus, quem scholiastae ac grammatici respiciunt ubique revera βέβηλα substantivum est, legitur in Aleadarum fragmento, quod supra commemoravimus, v. 7: δεινὸς γὰρ ἕρπειν πλοῦτος ἔς τε τἄβατα καὶ πρὸς βέβηλα.

V. 22 χρόνου μὲν οὕνεκ' οὐ μαθεῖν με δεῖ τόδε.

Haec verba, quomodo hodie leguntur, sane offensionem habent. Nam quid hoc est, quod Antigona dicit? Brunckius vertit: *satis longo ex tempore adsuevi hoc facere, ut me moneri opus non sit.* At apud Sophoclem nulla aut consuescendi aut monendi notio reperitur. Et filia, cuius auxilium in considendo a patre caeco et sene rogatur, num sine arrogantiae crimine talia poterat respondere? Verba autem, quae nunc leguntur, nihil nisi hoc significant: *propter tempus hoc discere me non oportet.* Nimirum, quod jam optime scit. At nonne et hoc arrogantiae est? Num ad discendum solum tempus requiritur? Hellerus statuit *acerbitatis aliquid huic sententiae inesse videri adversus fortunam, non adversus patrem.* Inesset, credo, si Antigona dixisset: *quam saepe tibi considenti opem tuli.* Similiter atque Hellerus Schneidewinus putavit Antigonam hic, dum patrem collocet, ob acerbam patris ipsiusque fortunam ingemiscere. — Missos faciamus interpretes ipsique quaeramus, quid Sophocles hoc loco dicere et potuerit et voluerit. Antigona versum, de quo agimus, tum demum pronuntiat, quum jam patrem fatigatum in eo, quem ipse providerat, lapide collocavisset. Non facile filiae fuisse putaverim senem imbecillum ac fessum ita sustentare, ut ille considens doloribus omnino careret. Omnis vero dolor, quem Antigona a patre prohibere non potest, ita in animum ejus penetrare videtur, ut sibi irascatur, quod, quamquam ex tam longo tempore patrem curet, tamen in curatione ejus sibi non omnia tam bene cedant, ut ipsa cupiat. Itaque ne tum quidem, quum patrem in lapide illo collocavisset, sibi satisfecisse videtur. In hanc sententiam versus, in quem inquirimus, sine dubio quadrabit, si facillima mutatione admissa χρόνου μὲν οὕνεκ' εὖ μαθεῖν μ' ἔδει τόδε scripserimus; εὖ μαθεῖν autem saepius recurrit velut Oed. Reg. v. 308.

V. 45 *ὥστ' οὐχ ἕδρας γῆς τῆςδ' ἂν ἐξέλθοιμ' ἔτι.*

Primus, qui in substantivo *γῆς* offenderet, Musgravius fuit, qui ad hunc locum adnotavit haec: *γῆς quid hic faciat, non video legerimque potius γε.* Alii *γῆς* quidem et ipsi corruptum esse existimaverunt, sed pro *γε* Musgravii *ἐκ* proposuerunt. Hac aetate A. Nauckius non *γῆς*, sed *ἕδρας* depravatum esse suspicatus est, quum Oedipus sedem quidem suam, et quidem brevissimo tempore interjecto, neque vero fines Atticos relinquat. Quare conjecit vir ille doctissimus Sophoclem *ὡς οὐχ ἑκὼν γῆς* scripsisse. Dindorfius, ut jam Erfurdtius et Hermannus, *γῆς τῆςδε* defendit allato versu Eur. Helen. 797, qui vix cum hoc Sophocleo comparari poterit. Postremo Meinekius rectissime Musgravii judicium his verbis sustentavit: *Musgravius fortasse recte γε scripsit pro γῆς.* Hoc quidem et ipse existimaverim, sed non solum *γε* vel *ἐκ* Sophocles mihi scripsisse videtur, sed utrumque *γ' ἐκ*, primum quod verba *γ' ἐκ* propius accedunt ad literas nominis *γῆς*, deinde quod Sophocles v. 36 h. f. etiam viatorem illum Atticum *ἐκ τῆςδ' ἕδρας ἔξελθ'* dicentem fecit. — Praeterea multum disceptatum est de *ὥστε*, quod ab Hermanno defensum, ab Elmslejo in *ὡς* mutatum est. Quamquam recentiores editores omnes ut Nauckius, Dindorfius, Meinekius cum Elmslejo faciunt, tamen neque hos neque olim Hermannum, quid hoc loco Sophocles scripserit, recte perspexisse arbitror. Nam, id quod minime dubitari potest, vix alium locum invenire licebit, cui pronomen *ὅστε* accommodatior sit, quam huic. Hoc igitur scribendum esse censeo. Significat vero *ὅστε quippe qui, ut qui, qui quidem,* quae notiones egregie ab Ellendt. lex. Soph. s. h. v. expositae sunt. Nullae vero justae exstant causae, ob quas a Sophocle in trimetris hoc pronomen abjudicemus, quum certe aliquot locis iambicis exhibeatur codicibus manu scriptis.

V. 149 *ἒ ἒ ἀλαῶν ὀμμάτων*
ἆρα καὶ ἦσθα φυτάλμιος δυςαίων
μακραίων τέ θ' ὡς ἐπεικάσαι.

Hi versus ita, ut supra scripti sunt, cod. Laur. A exhibentur. Nemo vero usque ad hunc diem eos recte construxisse videtur. Observavit Hermannus in antiquioribus editionibus nullam omnino inveniri horum versuum interpunctionem. Idem refert in editionibus Triclinianis ante *δυςαίων* interpunctionem esse. Post hanc Triclinii interpunctionem dubitationes virorum doctorum de horum versuum construendorum ratione non sublatae sunt. Vix operae pretium est omnes enumerare modos, quibus interpretes haec verba vel junxerunt vel separaverunt. Secundum Hermannum sensus huius loci hic est: *natusne es caecus? jam diu certe, ut videtur, cares oculorum lumine.* Dindorfius, cui Meinekius assentitur, Corais monitu post *ὀμμάτων* punctum, post *δυςαίων* interrogandi signum, post *μακραίων γ'*, quod ille scripsit, comma, post *ἐπεικάσαι* punctum posuit. Videamus ipsi, quid de hoc loco injuria vexato statuendum sit. Quantum nobis perspicere licet, nihil chorus dicere voluit, nisi Oedipum, quantum sibi quidem conjicere liceret, inde ab ortu per totam vitam caecum fuisse videri. Haec sententia sine ulla difficultate in illis versibus, de quibus disputamus, reperiri potest, si modo cavemus, ne supervacanea interpunctione adhibita viam nobis ipsi praecludamus. Habuerunt vero interpretes nullam harum rerum rationem. Primum enim particulae *καί — τε* ita sibi hoc loco respondent, ut apud nos *ebenso — wie.* Deinde genitivus *ἀλαῶν ὀμμάτων* neque exclamandi notionem habet neque ab adjectivo *φυτάλμιος* pendet, sed plane eodem modo, quo apud Plat. Phaed. p. 58 E. ad *εὐδαίμων* genitivi *τοῦ τρόπου* et *τῶν λόγων* additi sunt, de qua constructione conf. Bernhard. synt. gr. p. 171, adjectivo *δυςαίων* regitur; *δυςαίων* autem prorsus contrarium est adjectivo *εὐδαίμων* neque dubitari potest, quin etiam Sophocles hoc loco *δυςδαίμων* scripturus fuerit, si ob metrum liceret. Tum particulae *ἆρα* concludendi significatio

inest, quae verbis *ὡς ἐπεικάσαι* satis aperte indicatur. Postremo adjectiva *φυτάλμιος* et *μακραίων* sibi ita opposita sunt, ut revera illud notionem habeat, quam scholiastes affert, *ἀπὸ φύτλης, ἀπὸ γενέσεως, μακραίων* autem senem significet. Sunt enim adjectiva temporis, quorum loco nobis adverbia in usu sunt. Dixit igitur Sophocles haec: *ob caecos igitur oculos ut ab ortu, sic adhuc senex infelix es, quantum conjicere licet.* Jam restat, ut mendum aliquod lectionis ob metricam necessitatem tollamus. Perspicuum enim est non solum *τέ θ'* in *τ' ἔθ'* dirimendum esse, quod jam ab aliis factum est, sed etiam, quum insequens *ὡς* Bothius recte in *ὅσ'* mutaverit, pro *ἐπεικάσαι* poni debere *εἰκάσαι*, quod ipsum verbum Sophocli usitatissimum est. Scribo igitur postrema huius loci verba sic: *μακραίων τ' ἔθ' ὅσ' εἰκάσαι.* De *ἒ ἒ* nihil audeo pro explorato proponere.

V. 277 *καὶ μὴ θεοὺς τιμῶντες εἶτα τοὺς θεοὺς*
μοίραις ποιεῖσθε μηδαμῶς.

In substantivo *μοίραις*, quod etiam Laur. A exhibet, jure offenderunt interpretes. Nonnulli *μοῖραν*, quae est scriptura librorum Triclinianorum, revocaverunt praeeunte Schaefero. Reisigius, quum in duobus codicibus *μοίρας* exstet, *τοὺς θεοὺς μοίρας ποιεῖσθε μηδαμῶς* scribere voluit, *μοίρας* pro genitivo accipiens. Hermannus Schaeferum secutus est. Dindorfius *μοίρᾳ* correxit, quamquam ad quos provocaverat, Herodotus II, 172 in verbis *ἐν οὐδεμιῇ μοίρῃ μεγάλῃ* et Sophocles Phil. v. 498 in verbis *ἐν σμικρῷ μέρει* praepositionem *ἐν* ad *ποιεῖσθαι* addiderunt. Meinekius, qui prorsus laudabili modo Dindorfii conjecturam improbaverat, nihilominus Brunckium secutus est, qui justo audacius *εἶτα τῶν θεῶν μοίραν ποιεῖσθε μηδαμῶς* mutaverat. Multo rectius Nauckius rejectis aliorum conjecturis huc usque prolatis *μαύρους* conjecit, quod sequentium versuum sententia videbatur sustentari. At non caecitatis notio hic requiritur, quamquam tolerari potest, sed contraria verborum *θεοὺς τιμῶντες*. Nam Oedipus Atticos cives moniturus est, ne in alia re Deos honorent, in alia contemnant. Quare facili mutatione facta *μείους* pro *μοίραις* scripserim. Ut *θεοὺς τιμᾶν* Deos magni facere, sic *θεοὺς μείους ποιεῖσθαι* est Deos minoris facere. Nos dicimus *verkleinern, herabsetzen.* Accedit igitur sententia, in qua conjectura mea nititur, proxime ad eam, quae a prioribus criticis quaerebatur constructionibus minime graecis. Cum *μείους ποιεῖσθαι* comparare licet verba v. 957 h. f. *ἐρημία με σμικρὸν τίθησι*, Oed. Reg. v. 1083 *μῆνές με μικρὸν καὶ μέγαν διώρισαν*, Antig. v. 78 *ἐγὼ μὲν οὐκ ἄτιμα ποιοῦμαι* [1]).

V. 306 *ὥστε κεὶ βραδὺς*
εὕδει κλύων σοῦ δεῦρ' ἀφίξεται ταχύς.

Multum vexavit interpretes verbum *εὕδει*, quod in omnibus libris manu scriptis legitur. Conjecit Eldikius, quem Nauckius sequitur, quum melioris nihil in promtu habeat, *σπεύδει;* Brunckius, cui Hermannus, Hartungus, Meinekius assentiuntur, *ἕρπει;* Seidlerus *ἔρδει;* Reiskius *τἄλλ' ᾖ;* Doederlinus *ἢ εὕδει;* nuperrime Dindorfius (conf. ed. IV Teubn. p. XXXVII) *γήρᾳ*, quod jam ab H. Hirzelio approbatum est. Solus Schaeferus *εὕδει* defendere est conatus metaphorice dictum esse ratus. Bergkius, vir doctus alias in conjecturas pronus, nullo ad hunc locum addito verbo integram libro-

[1]) Ea, quae ad v. 278 notavi, jam scripta erant, quum mihi Philol. vol. XV et edit. IV Sophoclis Nauckiani afferebantur, e quibus libris cognovi jam Martinum in eam, quam ipse inveneram, conjecturam incidisse. Cuius mentio quum neque a Dindorfio neque a Meinekio facta sit, nolui meam de illo loco expositionem ex hoc libello tollere. — Hac occasione oblata simul addiderim conjecturas illas a me in Soph. Oed. Reg. v. 117 et v. 314 factas, etiam a Dindorfio propositas esse, cuius rei tum, quum observationes in illam fabulam ederem, nullam habere poteram cognitionem novissima Dindorfii editione Oxoniensi adhuc carens.

rum scripturam exhibuit. — Prorsus ineptum esse de lenta festinatione cogitare, cui fortasse in comoedia locus esse potest, non est, quod multis demonstremus, quare infelicissime Nauckius memoriam Eldikiani illius inventi renovasse videtur. — Tarditatis causam Meinekius inde repetiit, quod poeta Theseum ad Periclis exemplum tardiusculo gravique gressu utentem fecerit. At ex versu 890, ad quem Meinekius provocavit, id tantum potest colligi Theseum celerius, quam pedes pati voluissent, ergo supra virium suarum modum festinavisse. Quod qui fecit, num dignitatem in eundo servasse aut omnino tardius ivisse dici potest? Dindorfius eodem illo versu usus est ad demonstrandam Thesei senectutem. Quae quamquam jure quodam statui potest, tamen non satisfacit ad probandam Dindorfii conjecturam *γήρᾳ* nimis audacter in textum receptam. Nam quae tandem literarum similitudo inter *εὕδει* et *γήρᾳ* intercedit vel qua ratione umquam *εὕδει* e *γήρᾳ* proficisci potuit? Quare ne Dindorfium quidem verum vidisse consentaneum est. — Vehementer mirari licet, quod Hartungo excepto novissimis editoribus, qui codicum scripturam *εὕδει* improbaverunt, in mentem non venit eam viam, qua qui lente tardeque ingreditur, celerrime tamen in alium locum pervenire potest (*δεῦρ' ἀφίξεται ταχύς*), non *μακρὰν κέλευθον* (v. 303), sed *βραχεῖαν* dici debuisse. Hoc eo magis mirandum est, quod jam Musgravius *μακρὰ* in *μικρὰ* mutare voluerat. Nam Athenae reapse tam breve spatium a pago Colono aberant, ut Antigona hinc *πύργους μὲν οἳ πόλιν στέγουσιν πρόσω* (v. 14) conspicere posset. Thucydides autem VIII, 67 in verbis *ξυνέκλῃσαν τὴν ἐκκλησίαν ἐς τὸν Κολωνόν* (*ἔστι δὲ ἱερὸν Ποσειδῶνος ἔξω πόλεως, ἀπέχον σταδίους μάλιστα δέκα*) decem tantum stadia Colonum Athenis distare diserte dicit. Quae quum ita sint, conjicere possis non *ὥστε κεἰ βραδὺς εὕδει* (*ἕρπει, σπεύδει, γήρᾳ*) a Sophocle scriptum esse, sed *ὥστ' ἐπεὶ βραχὺ ὁδός*. Si iter tam breve erat (nos verteremus *βραχύ nur ein Kleines*), sane Theseus, si modo Oedipi rationem habere vellet, brevissimo tempore Athenis advenire poterat. *Ἐπεὶ* autem pro — *ε κεἰ* scribere eo majorem commendationem videtur habere, quod Sophocles post *ἐπεὶ* verbum *εἶναι* amat omittere, conf. Ant. v. 74, Aj. v. 1310, Trach. v. 320, h. f. v. 1334. Quae quamvis ita sint, tamen hanc conjecturam loci explicandi causa tentatam veram non habeo. Nam etiam servato verbo *εὕδει* sententia huic loco prorsus accommodata facillime potest parari. Cogitari enim licet Atticum illum non solum Oedipum de Thesei adventu solari, sed etiam coram illo de generoso regis animo officiosaque voluntate ejus gloriari voluisse. Qua re, jam quaeso, significantius hanc Thesei animi generositatem notare poterat, quam dicens illum, etiamsi, quum de Oedipi adventu certior fiat, altissimo somno sopitus fuerit, tamen statim ad hunc contenturum esse? Talem in sententiam ut verba, quae in libris exstant, formemus, nihil opus est nisi pro *βραδὺς* scribere *β α θ ὺ* vel *β α θ ύ ν*, intellige *ὕπνον*, quae ellipsis in ore huius Attici simplicitatem quandam morum prodit, et *εὕδει* in optativum *ε ὕ δ ο ι* mutare, qui modus mihi hoc loco prorsus videtur necessarius. Quomodo vero quis verba *κεἰ βραδὺς εὕδει etiamsi serus dormiat* cum Bothio vertere vel ut Schaeferus metaphorice *de homine otioso, qui animum habeat ab omnibus curis laxatum* accipere potuerit, id prorsus nego mihi quidem esse perspicuum. Ceterum ego quoque, id quod jam Meinekius in praefat. ad Oed. Col. p. X et Dindorfius l. l. p. XXXVII fecerunt, H. Hirzelio, qui Mus. Rhen. vol. XVIII, p. 306 sqq. vv. 301—304 delendos esse evincere studuit, ita assenserim, ut versus illos ad eam, quam nunc legimus, Sophoclis recensionem minime pertinere existimem. Fortasse autem antiquitus duplex exstabat cum totius fabulae, tum huius loci recensio. Cui vero sententiarum ordini ii, quos Hirzelius recte suspectos reddidit, versus olim inserti fuerint, id nunc quidem conjectura non licet assequi.

V. 335 οἱ δ' αὐθόμαιμοι ποῦ νεανίαι πονεῖν;
εἴσ' οὗπερ εἰσί· δεινὰ δ' ἐκείνοις τὰ νῦν.

Rectissime plerique editores in constructione adverbii ποῦ, cuius loco in Laur. A. falso ποῖ legitur, ob sequentem infinitivum πονεῖν offenderunt, nemini vero huc usque omnem huius loci difficultatem contigit tollere. Neque enim τὸ νῦν neque πονῶν, quae verba quidam pro πονεῖν substituere volebant, satisfaciunt. Nec infinitivus πονεῖν ad substantivum νεανίαι alio modo addi poterat, quam adjecta praepositione εἰς, quod ipsum a Sophocle v. 1368 αἵδ' ἄνδρες, οὐ γυναῖκες εἰς τὸ συμπονεῖν factum est. Quum ob v. 342 οὓς μὲν εἰκὸς ἦν πονεῖν τάδε verbum πονεῖν retinendum esse certissimum sit, nihil facilius esse videtur ad constructionem legitimam restituendam, quam 'πόνουν scribere. Id Oedipus quaerere volebat, qua re factum sit, ut Ismene neque vero, quos exspectaverat, filii cum illo nuntio venissent. Interrogavit igitur, qua in re filii occupati essent. Quamquam jam fortasse, quum *in aliqua re occupari* etiam *in ea re esse* significare possit, elucet hoc optime ex usu latini verbi *versari*, Ismene ambiguo modo respondere poterat: *sunt, ubi quidem sunt*, tamen mihi magis satisfactum esset, si pro εἴσ' οὗπερ εἰσὶ legeretur ἔα γ' οὗπερ εἰσί, quod ex omni parte sententiae huius loci respondet. Simili modo Sophocles Menelaum in Aj. v. 1048 dicentem fecit: ἀλλ' ἐᾶν ὅπως ἔχει. De pronuntiatione imperativi ἔα conf. Ellendt. lex Soph. Tom. I, p. 467. Lectio autem Laur. A δεινὰ δ' sine dubio servanda, ἐκείνοις vero, ut jam dudum factum est, in ἐν κείνοις est mutandum.

V. 367 πρὶν μὲν γὰρ αὐτοῖς ἦν ἔρις Κρέοντί τε
θρόνους ἐᾶσθαι μηδὲ χραίνεσθαι πόλιν.

Difficillimum est de hoc loco certum aliquid statuere. Nihilominus cum praetermittere nolui, primum quod conjectura ἐν φρεσὶ pro ἦν ἔρις, olim a Wexio proposita, de qua conferas libellum ejus *Kritische Beiträge zur Kritik des Sophokleischen Oedipus auf Kolonus, Schwerin 1837, p. 7*, injuria neglecta est ab editoribus multo pejores conjecturas fideliter propagantibus, tum quod ea lectio, in quam ipse incidi, cum sententiae aptissima, tum legibus Graeci sermonis accommodatissima esse videtur. Scripserim enim εἰκὸς ἦν. His verbis, quae ob literarum similitudinem facile cum ἦν ἔρις commutari poterant, poeta significare voluit fratribus aequum et in Creontem et in cives visum esse regni a patre relicti non potiri. — Ceterum Wexii conjectura ideo improbanda est, quod ἐν φρεσὶ locutio est sola Homerica.

V. 501 οὐ γὰρ ἂν σθένοι τοὐμὸν δέμας
ἔρημον ἕρπειν οὐδ' ὑφηγητοῦ δ' ἄνευ.

Probo quidem, quod Meinekius Wexii conjecturam ὧδ' pro οὐδ' rejecit, sed doleo, quod vir ille doctissimus in δίχα, quod a Dindorfio tribuitur Hermanno, acquievit. Apparet enim genitivum ὑφηγητοῦ hic eodem modo, quo Oed. Reg. v. 966: ὧν ὑφηγητῶν ἐγὼ et Oed. Col. v. 1588: ὑφηγητῆρος οὐδενὸς φίλων absolute a poeta usurpatum esse. Quem absolutum genitivum ut hic efficiamus, nihil opus est nisi pro δ' ἄνευ, quae est Laur. A scriptura et e glossemate originem duxisse videtur, scribere τινός. Quod si fecerimus, eam sententiam, quae sola huic loco apta est, restituerimus. Magnum enim discrimen interest inter ἔρημον et, quod adhuc legebatur, ὑφηγητοῦ ἄνευ vel δίχα. Ἔρημος ἕρπει, cuius gressus ab aliis non fulcitur, ὑφηγητοῦ ἄνευ ἕρπει, quem alius non praegreditur. Fulciri ei opus est, qui ob virium defectum ire nequit; ut ducem adhibeat, contra ei suaderi debet, qui ob caecitatem iter conspicere nequit. Dicit igitur Oedipus se, quippe qui non solum caecus, sed etiam imbecillus sit, etiamsi dux sibi antecedat, tamen nisi ab aliis fulciatur, ire non posse

V. 636 *ἀγὼ σεβισθεὶς οὔποτ' ἐκβαλῶ χάριν*
τὴν τοῦδε, χώρᾳ δ' ἔμπαλιν κατοικιῶ.
εἰ δ' ἐνθάδ' ἡδὺ τῷ ξένῳ μίμνειν, σέ νιν
τάξω φυλάσσειν· εἴτ' ἐμοῦ στείχειν μέτα
τὸ δ' ἡδὺ τούτων, Οἰδίπους, δίδωμί σοι
κρίναντι χρῆσθαι· τῇδε γὰρ ξυνοίσομαι.

De his versibus nuperrime duo viri doctissimi scripserunt, L. Spengelius in Philol. vol. XIX, p. 442 sq. et Meinekius in editione sua huius fabulae, p. 162. Quorum virorum auctoritatem, quamvis plurimum valeat in aliis rebus, tamen in hac agnoscere nequeo. Approbo quidem, quod Musgravii conjecturam *ἔμπολιν* Meinekius tandem, postquam omnes fere interpretes Elmslejo et Ellendtio exceptis ab illius partibus steterunt, rejiciendam esse censuit, sed nullam omnino video causam, ob quam *ἔμπαλιν* in *ἔμπα νιν* commutemus. Missum igitur faciamus hoc Meinekianum inventum et pro virili parte *ἔμπαλιν* defendendum suspiciamus. Significat autem hoc, quod nos dicimus *im Gegentheil; τοὔμπαλιν* Graecis ipsum est contrarium. Dicit igitur Theseus fere hoc: *seine Liebesgabe werde ich niemals wieder fahren lassen, im Gegentheil, ich werde ihr eine Stätte schaffen in unserem Lande.* Aliud est rem aliquam missam non facere, aliud diligenter eam asservare. Quasi igitur inter loquendum demum intellexerit quam plurimum, imo ut rem contrariam, *χάριν οὔποτ' ἐκβαλεῖν* differre a *χάριν χώρᾳ κατοικίζειν*, orationem suam correcturus addit Theseus *χώρᾳ δ' ἔμπαλιν κατοικιῶ.* Quantum video, Musgravius et cum eo posteriores editores hunc locum ita acceperunt, ut ad *κατοικιῶ* Theseum objectum assumerent. Hoc umquam fieri posse nego. Nullum aliud ad verbum *κατοικιῶ* pertinet objectum, quam *τὴν τοῦδε χάριν.* Locutus autem est Theseus, id quod interpretes non perspexerunt, poetica quadam ratione respiciens cum ad paucissimos illos dies Oedipo adhuc vitae reliquos, tum ad illa tempora, ubi jam senex de vita decessisset. Cogitat igitur jam nunc etiam de ultima illa domo, quae unumquemque nostrum manet post mortem. Ceterum quid Oedipo profuisset inter cives Athenienses rite recipi? Nunc quidem solum Thesei praesidium imploraverat. Itaque illa, quae in tempus facere paratus sit, Theseus iis, quae sequentibus versibus exponuntur, significavit. Quae quum ita sint, nullo modo Spengelio assentiri possum dicenti: *es folgt aber auch, dass diesem εἴτε ein anderes wirklich oder dem Gedanken nach entsprechen muss, und beide sich an das Verbum κατοικιῶ anschliessen: ich will den Fremden in unserem Lande ansiedeln, sei es, dass er hier bleiben mag, und in diesem Falle sollst du für ihn sorgen, oder dass er mit mir gehen will. Es ist daher nicht unwahrscheinlich, dass κατοικιῶ, εἴτ' ἐνθάδ' ἡδὺ .. εἴτ' .. zu lesen ist.* — Post *κατοικιῶ* punctum ponendum est, ut omnibus temporibus est factum. Nam quatuor sequentes versus per se totum aliquid efficiunt. Jure vero interpretes in his versibus haesitaverunt. *Apparet,* inquit Meinekius, *in his nullum esse legitimae orationis vestigium.* Dubitari autem non potest, quin in verbis *τὸ δ' ἡδὺ* vitium aliquod lateat. Nam perspicere non possumus, cur Theseus post ipsa illa verba *τὸ δ' ἡδύ*, ad quae, si *τόδ' ἡδὺ* legendum est, dativus *ἐκείνῳ* intelligi debet, quasi saltu quodam facto ad invocandum Oedipum transeat. Omnem difficultatem tolli posse arbitror, si pro *τὸ δ'* vel *τόδ'*, quod saepius corruptum invenitur in libris Sophocleis, de qua re conferas, quae ad Antig. v. 480 et h. f. v. 1135 attulimus, *σοί γ'* scribimus. Offendere non potest, quod jam et in prodosi et in apodosi pronomen *σοὶ* legitur utpote in utraque necessarium. Simili modo *σοὶ* repetitum est Oed. Reg. v. 379 *Κρέων δέ σοι πῆμ' οὐδέν, ἀλλ' αὐτὸς σὺ σοί.* Pro *εἴτ'* autem, quod Laur. A. exhibet, cum plerisque editoribus *εἰ δ'* scribendum erit. Verbis *εἰ δ' ἐμοῦ στείχειν μέτα σοί γ' ἡδὺ*

Theseus Oedipum jam allocutus est; ipsius vero nomen in apodosi demum posuit. Cogitemus igitur Theseum inter loquendum statim verbis *εἰ δ'* ad Oedipum se convertisse.

V. 658 *πολλαὶ δ' ἀπειλαὶ πολλὰ δὴ μάτην ἔπη*
θυμῷ κατηπείλησαν, ἀλλ' ὁ νοῦς ὅταν
αὑτοῦ γένηται, φροῦδα τἀπειλήματα.

Solus is, qui non ignorat, quot et quam absurdae opiniones saepissime in rebus simplicissimis a criticis excogitatae sint, fieri potuisse intelliget, ut tot, quot exstant, in hunc locum pravissimae conjecturae promulgarentur. Nisi mihi chartae parcendum esset, lectorum delectandorum causa omnes horum versuum lectiones inde ab Aldi temporibus propositas hoc loco recenserem. Profecto esset opera iis non inutilis, quorum oculi librorum usu ita obtusi doctrinaeque farragine sic impediti sunt, ut simplicissima quaeque vel ante ipsos pedes posita videre nequeant. — Probe quidem Meinekius eos viros doctos laudavit, qui *illas minantes minas* mirati sint, nihilominus tamen falsissime *κατηπείλησαν* glossema alius verbi c. c. *κατεξέπνευσαν* habuit. Tali autem artificio prorsus hic non opus est. Quaeramus potius, quid omnino aliquid minari possit. Nihil profecto praeter homines aut verba. Quum de hominibus hoc loco sermo non sit, verba minata esse statui necesse erit. Quod si ita est, *πολλαὶ δ' ἀπειλαὶ* in *πολλὰς δ' ἀπειλὰς* et *κατηπείλησαν* in *κατηπείλησεν* mutanda erunt. Vertere autem licet locum a nobis restitutum, qui ob alliterationem per complura verba continuatam notabilis est, sic germanice: *wohl haben vielmals Worte der Drohungen mancherlei dem Zorn zu Folge schon vergeblich gedroht.* Est quasi hic locus, ut hac imagine utar, fabula de minis, quae hic ut ira et mens tamquam homines repraesentantur. Liceat mihi eam enarrare. Ira, quum exardescit, mentem capit, ut jam sui non compos sit, et verba appellat, ut minas jactent. At mens diu irae imperium non tolerat sensimque se recolligit. Quod simul factum est, cito aufugiunt minae verbis ante jactatae. — Alliteratio, quam in his versibus invenimus de quaque conferas Goettling. ed. II. Hesiod. p. XXXIII sq., documento esse potest Theseum re vera fabulam vel proverbium, quod Graecis in ore erat, in mente habuisse. Nemo autem de significatione dativi *θυμῷ* amplius poterit dubitare, qui ethicus ille est, quem vocant, de quo vide Bernh. synt gr. p. 85. Ceterum compara h. f. v. 1281 sqq. et M. Seyffert ad Antig. v. 718 in Jahn Ann. 1863, p. 495 sq.

V. 776 *ὥσπερ τις εἴ σοι λιπαροῦντι μὲν τυχεῖν*
μηδὲν διδοίη μηδ' ἐπαρκέσαι θέλοι.

Quamquam plerique Sophoclis loci vitio depravati hodie jam notati sunt, tamen etiam nunc aliquot exstant, de quorum integritate nemo adhuc dubitavit. Inter hos est idem ille versus referendus, quem supra typis exhibuimus. Vehementer mirandum est, quod nemo in infinitivo verbi *τυχεῖν* offendit. Nonne prorsus inutile erat ac supervacaneum ad *λιπαρεῖν*, quod etiam v. 1201 h. f. absolute usurpatum est, addere *τυχεῖν*, quod ne aptum quidem huic loco est? Neque enim *τυχεῖν*, sed *δοῦναι* exspectatur. At ne hoc quidem tam nude positum ullo modo posset satisfacere. Nam aut tale generale verbum omnino omittendum erat aut eae ipsae res nominatim indicandae, quae a supplice rogantur. Quare meo quidem judicio istud *τυχεῖν* orationem Sophoclis prorsus dedecet. At, quid, inquiat quispiam, jam faciendum est? Meminerimus veteribus poetis omnes res, quas vel narrant vel describunt, quasi imagines ita ante animi oculos obversatas esse, ut in narrandis his rebus nihil facerent, nisi ut, quae intuerentur, quasi depingerent et imitarentur. Sic hoc quoque loco Sophocles Creontem fortasse in itinere calamitate aliqua laborantem auxilioque destitutum in solo jacentem et alium, qui casu eodem itinere incesserat, in illum incidentem finxit. Ut

rem ita factam esse imaginemur, sine dubio impellemur, si *τυχὼν* scripserimus. Quare censeo hoc restituendum esse. *Τυχεῖν* autem hoc loco idem est atque *συντυχεῖν* apud Herodot. IV, 14 in verbis: *φάντα συντυχεῖν τέ οἱ ἰόντι ἐπὶ Κυζίκου καὶ ἐς λόγους ἀπικέσθαι.* Ceterum mihi hunc Sophoclis locum emendaturo in mentem venit narratio de Samaritani misericordia, quae apud Luc. X, 30 sqq. exstat et huius Sophoclei loci quasi commentarius quidam est.

V. 808 *χωρὶς τό τ᾽ εἰπεῖν πολλὰ καὶ τὰ καίρια.*

Quum etiam in minutissimis rebus critico diligentia adhibenda sit, nolui tacere mihi jam olim necessarium visum esse pro *τὰ καίρια* scribere *τὸ καίρια*, quod his demum diebus comperi jam olim a Brunckio, hac vero aetate ab Hartungo in textum receptum et a Meinekio secundum Suidae testimonium commendatum esse. Prorsus similis locus legitur apud Aesch. Prom. v. 931: *ὅσον τό τ᾽ ἄρχειν καὶ τὸ δουλεύειν δίχα.* Vehementer autem miratus sum, quod Dindorfius et Nauckius lectionis Brunckianae *τὸ καίρια* ne mentionem quidem fecerunt. Sine dubio in talibus rebus congruentia atque concinnitas sermonis plus debet valere quam vel ipsius codic. Laur. A auctoritas. Cuivis perspicuum erit nihil facilius fieri potuisse, quam ut librarius *τὰ* pro *τὸ* legeret.

V. 813 *μαρτύρομαι τούσδ᾽ οὐ σὲ πρὸς δὲ τοὺς φίλους*
οἷ᾽ ἀνταμείβει ῥήματ᾽, ἥν σ᾽ ἕλω ποτέ.

Inter difficillimos huius tragoediae locos versus 813 et 814 referendi sunt, qui ab interpretibus diversissima ratione et constituti sunt et explicati. Laur. A codicis scripturam supra exhibuimus; notandum vero est in aliquot libris *πρός γε* pro *πρὸς δὲ* exstare.

Scripsit Musgravius: *μαρτύρομαι τούσδ᾽, οὐ σέ, πρός γε τοὺς φίλους*
οἷ᾽ ἀνταμείβῃ ῥήματ᾽· ἥν δ᾽ ἕλω ποτὲ —

Brunckius: *μαρτύρομαι τούσδ᾽, οὐ σὲ, πρός γε τοὺς φίλους*
οἷ᾽ ἀνταμείβει ῥήματ᾽. ἥν σ᾽ ἕλω ποτὲ —

Reisigius: *μαρτύρομαι τούσδ᾽, οὐ σύ, πρὸς δέ, τοὺς φίλους*
οἷ᾽ ἀνταμείβει ῥήματ᾽, ἥν σ᾽ ἕλω ποτέ.

Hermannus: *μαρτύρομαι τούσδ᾽, οὐ σέ. πρὸς δὲ τοὺς φίλους*
οἷ᾽ ἀνταμείβει ῥήματ᾽, ἥν σ᾽ ἕλω ποτέ,

Halmius: *μαρτύρομαι τούσδ᾽, οὓς σὺ πρόσθε, τοὺς φίλους*
(de altero versu mihi non constat, quid Halmius statuerit)

Hartungus: *μαρτύρομαι τούσδ᾽, οὓς σὺ προὐστήσω φίλους,*
οἷ᾽ ἀνταμείβει ῥήματ᾽, ἥν σ᾽ ἕλω ποτέ.

Dindorfius: *μαρτύρομαι τούσδ᾽, οὐχὶ σ᾽, ὃς γνώσει φίλους*
οἷ᾽ ἀνταμείβει ῥήματ᾽, ἥν σ᾽ ἕλω ποτέ.

Bergkius: *μαρτύρομαι τούσδ᾽, οὐ σέ, πρὸς δέ, τοὺς φίλους,*
οἷ᾽ ἀνταμείβῃ ῥήματ᾽· ἥν σ᾽ ἕλω ποτέ —

Meinekius: *μαρτύρομαι — τούσδ᾽ οὐχί, πρὸς δὲ τοὺς φίλους*
οἷ᾽ ἀνταμείψει ῥήματ᾽, ἥν σ᾽ ἕλω ποτέ.

Engerus: *μαρτύρομαι τούσδ᾽, ὧδ᾽ ἔχοντα προςφιλῶς*
οἷ᾽ ἀνταμείβει ῥήματ᾽, ἥν σ᾽ ἕλω ποτέ, .

Profecto tot proposuerunt viri docti conjecturas, ut putare possis esse jam inter illas veram neque quidquam nobis restare, quam ut illam, quae tantum una esse poterit, eligamus. At in arte critica idem solet evenire, quod in medicina. Quo inveteratior morbus, eo desperatior eoque plura ab medicis saepissime frustra adhibita sunt remedia. Nihil vero in medicina plus

valet ad sanandum, quam sedem morbi haud ignorare. Etiam in his desperatis Sophoclis versibus sedes corruptelae adhuc latet. Non interpunctio, non aposiopesis solae medelam, quae hic requiritur, afferre possunt. Quaeramus igitur ipsi. Primum vero *οὐ*, deinde *σέ*, tum *πρὸς δέ*, postremo *οἷ' ἀνταμείβῃ* corrupta esse videntur. Nam quis putet a Creonte chorum testem invocari eorum, quae Oedipus jam dixerat? Talis invocatio aliorum rem debet respicere, quae futura est. Quod autem Creon futurum esse putat, id certo post illud demum tempus futurum erat, quo ille Oedipo jam potitus erat. Quare equidem putaverim Sophoclem olim haec scripsisse:

μαρτύρομαι τούσδ', εἰ σὺ πρός γε τοὺς φίλους
τοιαῦτ' ἀμείψει ῥήματ', ἤν σ' ἕλω ποτέ.

Chorus igitur videre jubetur a Creonte, num Oedipus, si a Creonte vi correptus sit, tales, quales nunc, in propinquum suum voces jactare perrecturus sit. Omnes difficultates, quibus vexatissimus hic locus impeditus erat, conjectura mea radicitus in perpetuum sublatas esse persuasissimum mihi est. *Τοιοῦτος* autem saepissime de rebus et verbis infestis usurpatur ut h. f. vv. 629, 781, 1002.

V. 1113 κἀναπαύσατον
τοῦ πρόσθ' ἐρήμου τοῦδε δυστήνου πλάνου.

Hic versus ob verbum *ἀναπαύσατον* semper interpretibus negotia facessivit. Nesciebant enim, utrum illud, ut Musgravius fecit, quem Wunderus sequitur, passivo sensu accipere an, ut nuper Dindorfius quoque, ad hoc verbum *μέ* intelligere deberent. Recte quidem Dindorfius de passiva significatione huius verbi dubitavit, sed cum plerisque editoribus de eo prorsus securus fuisse videtur, num res prmiaria huius loci, dico autem objectum, omnino potuerit omitti. Id fieri potuisse prorsus nego. At non adeo difficile erat objectum, quod necessarium est, invenire. Scribendus enim est pro genitivo *τοῦ πρόσθ' ἐρήμου* accusativus *τὸν πρόσθ' ἔρημον*. Non vereor, ne quis mihi objiciat Oedipum etiam recuperatis filiabus *ἔρημον* fuisse. Nonne plane ingrato erat animo, si coram ipso Theseo, cuius auxilium jam in se et filiabus suis verissimum atque efficacissimum expertus esset, amplius desertus sibi visus esset? Nonne paucis versibus ante se etiam nunc miserum esse his verbis diserte negaverat *οὐδ' ἔτ' ἂν πανάθλιος θανὼν ἂν εἴην σφῷν παρεστώσαιν ἐμοί?*

V. 1134 οὐκ ἔγωγέ σε
οὐδ' οὖν ἐάσω.

Hoc loco doceri potest his in literis perniciosissimum esse auctoritatem alicuius viri, quamvis doctrina ingenioque spectatissimi, ita sequi, ut in res semel ab aliis tractatam pro virili parte de novo inquirere desinas. Video enim nullum editorem post Hermannum de integritate huius loci dubitavisse omnesque eodem modo, ut vir ille doctissimus, horum versuum explicationem instituisse sententiam non justam tali modo explentes, ut illorum exemplum secutus ad omnia omnia possis supplere. Oedipus, postquam laetitia exsultans regem, ut manum sibi tangendam caputque exosculandum porrigeret, imploravit, jam re melius considerata Theseum se rogaturum esse negat, ut se hominem flagitiis contaminatum tangat. Pergit *οὐκ ἔγωγέ σε οὐδ' οὖν ἐάσω*. Haec verba Hermannus ita explevit: *οὐκ ἔγωγέ σε θελήσαιμ' ἂν θιγεῖν ἐμοῦ, οὐδ' οὖν ἐάσω, εἰ αὐτὸς βούλοιο θιγεῖν*. Quo tandem jure? etiam atque etiam quaero. Quodsi tam inconcinne Sophocli dicere licuisset, carmina ejus non cogitata sapientissimi omnium poetarum pulcherrimo modo expressa, sed voces habendae essent furentis alicuius temere fusae nec causam haberemus, ob quam juventutem nostram de integro semper ad hunc quidem poetam relegemus. At res sic se non habet, ut Sophocli culpa imputanda sit, quae a librariis commissa est. Simplicissima enim mutatione facta

integer Sophocles restitutus erit. Si memores sumus in Antig. v. 538 *ἀλλ' οὐκ ἐάσει τοῦτό γ' ἡ δίκη σὲ* cum verbo *ἐᾶν* a Sophocle et accusativum personae et accusativum rei junctos esse, non dubitabimus, quin hic scribendum sit: *οὐκ ἔγωγέ σε τόδ' οὖν ἐάσω.* Saepissime autem *τόδε* a librariis falso lectum esse jam supra exposuimus.

V. 1148 *χὤπως μὲν ἀγὼν οὗτος ᾑρέθη τί δεῖ μάτην κομπεῖν.*

Sane erant variae causae, ob quas interpretibus de horum versuum fide dubitandum esset. Primum in v. 1148 duae syllabae abundant, incertum vero est, quae expellendae sint; deinde *ἀγὼν οὗτος* dici nequit, quum articulus desideretur, tum prima syllaba verbi *ἀγὼν* brevis est, quum producta esse debeat. Ob has causas Heathius pro *ἀγὼν οὗτος* scripsit solum *ἁγών*, at jure dubitatur, num Graeci *ἀγῶνα αἱρεῖν* dicere soliti sint. Nauckius ejecto *οὗτος* scripsit *ἄγων*, quo participio Creontem indicari voluit, sententia quidem proba, sed jure a Meinekio propter antecedentia verba *πάρειμ' ἄγων* improbatus. Meinekio autem ipsi a Sophocle *χὤπως μὲν οὗτος ᾑρέθη*, quod jam Bothius invenerat, scriptum fuisse verisimile est. Commendari videtur haec conjectura eo, quod chorus, cuius rei ipse Meinekius monuit, Creontem captum iri v. 1065 praesagiverat. Suspicari possis Sophoclem scripsisse *χὤπως Κρέων μὲν ᾑρέθη*. At quamquam haec conjectura sententiae huius loci congrua est, tamen consentaneum non est poetam ipso raptoris nomine pro locutione reprehensionem quandam exprimente uti maluisse. Putaverim igitur potius *ἀγρεὺς* antiquitus a Sophocle scriptum esse, quod ironice et metaphorice de Creonte dictum triumphantem Theseum, cuius promissis illudere Creonti non contigerat, optime hoc loco decet. Pergit vero quodam modo hoc substantivo Theseus in eo loquendi genere, quod eum de minis dicentem supra vidimus adhibentem. Praeclarissime igitur Sophocles mores ingeniumque regis et finxit et servavit. Simili autem modo Theseus jam v. 1025 dixerat *γνῶθι δ' ὡς ἔχων ἔχει καί σ' εἷλε θηρῶνθ' ἡ τύχη.* Quis vero alius est *θηρῶν* quam *ὁ ἀγρεύς*?

V. 1204 *τέκνον, βαρεῖαν ἡδονὴν νικᾶτέ με λέγοντες.*

Etiam hic locus, de quo permulta ab interpretibus disputata sunt, adhuc sanatus non est. Hermannus, Dindorfius, Meinekius prorsus silentio eum praeterierunt. Doederlinus *ἡδονὴν* ex *λέγοντες* pendere statuit. Erfurdtius recte quidem constructionem verbi *νικᾶν*, quod jure comparat cum *ἐξαιτεῖσθαι*, indagavit, sed sententiam eruit his verbis minime significatam. *Vincitis me*, explicat Erfurdtius, *extorquentes oratione vestra rem, vobis quidem jucundam, mihi vero permolestam.* Huic explicationi adstipulati sunt Wunderus et Schneidewinus. At quid respondet hic Oedipus a filiabus rogatus, ut filium, quem vituperat atque odit, exaudiat? Ut nunc quidem verba leguntur, nihil aliud, quam filias patri molestam voluptatem oratione sua extorquere. Haec voluptas utrum patris an filiarum est? At hic nullus sermo est de ulla voluptate aut patris aut filiarum. Nonne etiam sororibus, quantumvis misericordia commotae essent, Polynices reprehensione quam gravissima dignus erat? Accedit, quod orationi iis verbis, quae codicibus exhibentur, servatis, sane, quod recte cognovit Schneidewinus, oxymoron, quod vocant, inesset. Quis putet Oedipum hoc quidem tempore tali figura usurum fuisse? Hartungus eo difficultatem huius loci sustulisse sibi videtur, quod *ἡδονὴν* idem esse atque *χάριν* statuit. At id exemplis ei demonstrandum erat. Vix dignus est, qui commemoretur, Blaydesius, qui nimia audacia abreptus *βαρεῖαν δὴ χάριν* sive *δόσιν* mutare voluit. Recte, quamquam severe, de omni Blaydesii editione Sophoclis judicavit Ritschelius *de cantico Soph. Oed. Col.* p. XII. Nihil igitur restat, quam ut ipsi hunc

difficillimum locum emendandum suscipiamus. Videtur autem Sophocles re vera non *ἡδονὴν νικᾶτε*, sed *ἧτταν ἐκνικᾶτε* scripsisse; *ἧττα* vero saepissime usurpatur de obsequio in aliorum voluntatem, velut Demosth. p. 1486, 3; Plut. Brut. 6, quos locos quintae editioni lex. Passov. debeo. Dicit igitur Oedipus: *durch euer Reden zwingt ihr mir ein Nachgeben ab, das mir schwer wird.* Ceterum ut intelligas, quamnam rem *ἡδονὴν* dicere liceat, conferas Soph. Elect. v. 873 sqq.

V. 1209 *ὦ πρέσβυ, κομπεῖν δ' οὐχὶ βούλομαι δέ σε*
σῶν ἴσθι, ἐάν περ κἀμέ τις σώζῃ θεῶν.

Ne de his quidem versibus quid a Sophocle scriptum sit adhuc constabat. Pro *δέ σε*, quod Dindorfio teste in Laur. A superscriptum est, etiam *σὺ δὲ* libris exhibetur. Jam Jos. Scaliger, cui inter priores editores Heathius, Musgravius, Brunckius, inter recentiores Dindorfius et Wunderus assensi sunt, teste Valckenario (ad Eurip. Hipp. v. 304) *σῶς ἴσθ'* pro *σῶν ἴσθι* scribi jusserat. Reisigius, quem Hermannus secutus est, *σὲ δὲ σῶν ἴσθ'*, Schneidewinus *σὺ δὲ σῶν σ' ἴσθ'* conjecit, Meinekius dubitanter proposuit *σὲ δὲ σῶν οἶδ' ἐάνπερ* vel *σὺ δὲ σῶς ὢν κάτισθ', ἤν κἀμέ τις σώζῃ θεῶν.* Bergkius verba, de quibus agimus, ad antecedentia attrahens *κομπεῖν δ' οὐχί, βούλομαι δέ σε σῶν, ἴσθ', ἐάνπερ* — conjecit. Quum *δέ σε* scriptura codicis Laur. A. sit, dubitari nequit, quin in verba *σὲ δὲ* prior horum versuum revera exierit, participium *ὢν* autem a Dindorfio demum illatum delendum sit. Sublato autem participio illo etiam lectio *σῶς ἴσθ'* sublata est. Nam certissimum est secundum syntacticas leges sermonis graeci *σῶς ἴσθ'* nisi *ὢν* addito retineri non posse. Deinde scriptura *σὲ δὲ σῶν ἴσθ'* plane ingenio linguae graecae repugnat, quod bene a Meinekio demonstratum est. Habemus igitur optionem, utrum *σὲ δὲ* an *σῶν ἴσθ'* mutemus. De sententia vero huius loci vix dubitari poterit. Theseus promissa jam antea edita repetere nolens Oedipum a se servatum iri affirmat, si ipse quidem a Diis servetur. Jam quum accusativus *σὲ* ad verbum transitivum pertinere videatur, tale verbum sit insequens *σώζῃ*, particula *καὶ* ante *ἐμὲ* posita indicetur *σὲ* eodem fortasse verbo rectum fuisse, antecedenti *βούλομαι* verbum ejusdem personae optime respondeat, retento quidem *ἴσθ'* omnes, quae omnino excogitari poterant, conjecturae propositae sint, nulla vero earum ex omni parte satisfaciat: verba *σῶν ἴσθ'* depravata et pro his ea, quae literarum similitudine proxime ad illa accedunt, *σώσω γ'* scribenda esse censeo. Saepissime autem et quidem cum vi aliqua affirmationis Sophocles particulam *γε* ad futura addidit, velut h. f. v. 79, Phil. v. 660, Oed. Reg. v. 345. Ut hic de se ipse Theseus *σώσω* dicit, ita Antigonae licuit v. 1117 Theseum *ὁ σώσας* appellare. Scribo igitur hunc locum sic: *σὲ δὲ σώσω γ', ἐάνπερ κἀμέ τις σώζῃ θεῶν.* Non puto quemquam amplius de scriptura huius loci dubitare posse.

V. 1249 *καὶ μὴν ὅδ' ἡμῖν, ὡς ἔοικεν, ὁ ξένος*
ἀνδρῶν γε μοῦνος, ὦ πάτερ, δι' ὄμματος
ἀσταχτὶ λείβων δάκρυον ὧδ' ὁδοιπορεῖ.

Facilius esse totos versus damnare, quam sanare huius loci exemplo ostendi potest. Non possumus non quam vehementissime dolere, quod huius aetatis critici, si hebetiore oculorum suorum acie impediti nullam aut emendandi aut interpretandi viam jam vident reliquam, statim ad damnandum parati sunt. Hos viros plus nocere literis, quam prodesse mihi est persuasissimum. Adnotat ad verba *ἀνδρῶν γε μοῦνος,* nam his inest difficultas, Meinekius: *recte hoc dicendi genus suspectant viri docti. Totum versum damnant Dindorfius et Nauckius.* Dixit vero Dindorfius: *genitivus ἀνδρῶν ab μοῦνος, quod pro μονωθεὶς dictum sit, pendere creditur. Quod Graecis lectoribus non facile erat in mentem venturum. Mihi totum hoc ἀνδρῶν γε μοῦνος interpolatore versum defectum explente dignius videtur, quam Sophocle.* Cautius Nauckius: *Die Worte ὡς*

ἔοικεν — μοῦνος sind entweder schwer verderbt, oder, was mir wahrscheinlicher ist, interpolirt. **Hartungus, quamquam et ipse ἀνδρῶν μοῦνος dici non posse intellexerat, tamen totum versum statim expellere noluit conjectura adhuc auxilium parari posse ratus. At quis iis, quae vir ille doctissimus proposuit, μόνος δίχ' ἀνδρῶν vel ἀνδρῶν δίχα μόνος justissima dubitatione non interposita possit adstipulari? —** Quod si respicimus saepissime, ubi adventus alicuius in tragoediis nuntiatur, advenientem dici ἄσσον στείχειν, velut h. f. v. 312, vel ἄσσον ἰέναι, ut Antig. v. 1215, vel ἄσσον ἕρπειν, ut Elect. v. 900 et Antig. v. 1210, huius vero fabulae v. 723 simillimo modo haec legi: ἄσσον ἔρχεται Κρέων ὅδ' ἡμῖν οὐκ ἄνευ πομπῶν, πάτερ, non dubitabimus, quin pro ἀνδρῶν scribendum sit ἄσσον. Facillime autem ἀνδρῶν et ἄσσον, verba inter se simillima, commutari potuisse nemo negabit; particulam γε autem cum μοῦνος jungendam esse satis liquet. Conf. de collocatione huius particulae Ellendt. lex. Soph. Tom. I, p. 348 sq. Quis jam vera lectione inventa temeritatis tria simul verba vel totum versum damnantis reus esse velit?

V. 1265 καὶ μαρτυρῶ κάκιστος ἀνθρώπων τροφαῖς
ταῖς σαῖσιν ἥκειν τἄλλα μὴ 'ξ ἄλλων πύθῃ.

In editionibus antiquioribus, ut Aldina, loco verbi πύθῃ exstat πάθῃ. Totum hunc locum turpissimo modo depravatum esse quis negaverit? Primum enim quid sibi volunt, ut ab extremis ordiamur, verba τἄλλα μὴ 'ξ ἄλλων πύθῃ? Nonne Oedipum alias post alias res cognoscere vetant? Quamnam inter hanc sententiam et antecedentia verba statuamus esse cohaerentiam? Deinde nunquam dativus τροφαῖς ταῖς σαῖσιν ita cum κάκιστος potuit jungi, ut eum, qui ob alimenta patri non praestita pessime egerit, notaret. Nihil enim κάκιστος τροφαῖς ταῖς σαῖσιν significare potest nisi Polynicem propterea, quod vel ipse ab Oedipo nutritus sit vel ipsum Oedipum nutriverit omnium pravissimum esse, quod utrumque ineptum esse a quovis intelligitur. Putare possis, quum Oedipus filias v. 1367 αἵδ' ἐμαὶ τροφοὶ et v. 1365 τάςδε μὴ 'μαυτῷ τροφοὺς dicat, pro τροφαῖς scribendum esse τροφοῖς. Quod si fieret, dativo illo significaretur Polynicem ex sororum judicio pessimum ad Oedipum venisse. At non solum ex sororum judicio, quippe quae fratris patrocinium adversus patrem fortissime suscepissent, sed vel maxime ex ipsius patris judicio pessimus erat hominum. Quare nihil inde lucraremur, si τροφοῖς pro τροφαῖς legere vellemus. Haec verba igitur prorsus corrupta esse nemo infitias ibit. Quum constructio verborum ἄλλα ἐξ ἄλλων plane legitima sit frequentissimoque usu firmata, nullam habebimus causam, cur in ea haesitemus. Ut Sophoclis hic ἄλλα ἐξ ἄλλων dixit, sic in Trach. v. 28 ἐκ φόβου φόβον. Periculosissimum igitur est Musgravii conjecturam τἄμ' pro τἄλλ', ab omnibus fere interpretibus collaudatam, in textum recipere. Sententia, quae illa conjectura efficitur, mihi ab hoc quidem loco prorsus aliena esse videtur. Nam quid hoc esset: *me hominem pessimum esse ultro ipse testor, ne quae ad me pertinent, ex aliis audias?* Istam sententiam viris doctis umquam placere potuisse, vehementissime miror. Quae quum ita sint, etiam Spengelius mihi improbandus est, qui l. l. p. 447 sq. codicum scripturam verissimam esse ratus in dativo τροφαῖς cum κάκιστος juncto non offendens hanc extorsit sententiam: *damit du nicht das eine nach dem anderen* (ἄλλα μετ' ἄλλα) *erfährst, will ich dir das Ganze auf einmal und kurz mit einem einzigen Worte sagen, dass ich κάκιστος ἀνθρώπων bin.* Plane obstupefactus sum, quod vir ille inter paucos sobrii judicii huiusmodi interpretationem illorum versuum omnino admitti posse sibi persuaserat. Quibus praemissis, ut jam, quae nostra sit sententia, in medio proponamus, illud mihi firmissimum videtur in verbis ἄλλα ἐξ ἄλλων nihil debere mutari. Necessario vero substantivum ad ἄλλα requirimus, quod altera lectione πάθῃ. solo iota subscripto demto in pluralem nominis πάθος immutata, jam

praesto erit. Deinde consentaneum est cum verbis κάκιστος ἀνθρώπων participium olim junctum fuisse, velut γεγώς, quod exstat h. f. v. 364 χρόνῳ μείων γεγὼς et v. 1132 ἄθλιος γεγώς. Quod participium quum in τροφαῖς latere veri sit simillimum, non errabimus pro illo legentes *τραφείς*, quod Ellendt. l. l. Tom. II, p. 853, 4 commode γεγονὼς explicandum esse dicit. Tum ἥκειν ex omni parte sanum videtur ut verbum saepissime ad vocabula calamitatem notantia additum, de quo usu conf. Aesch. Prom. v. 102 sq. οὐδέ μοι ποταίνιον πῆμ' οὐδὲν ἥξει. Ut hoc Aeschyli loco ad ἥκειν additus est dativus μοί, sic putandum est olim etiam in hoc loco cum illo verbo dativum conjunctum fuisse. Hunc dativum mihi in ταῖς σαῖσιν, quod facili mutatione in *τοῖς σοῖσιν* emendandum est, invenisse videor. Verbis τοῖς σοῖσιν Polynices cum sorores omnemque Oedipi familiam, tum vel maxime se ipsum intelligit. Usurpavit vero Sophocles hoc pronomen eodem sensu non solum Oed. Reg. v. 415 καὶ λέληθας ἐχθρὸς ὢν τοῖς σοῖσιν, sed etiam v. 1448, quem compares. Quae omnia si vera sunt, necessario verba μὴ 'ξ mutanda nobis erunt in *γ' ἐξ*. Habebimus igitur jam hos versus:

καὶ μαρτυρῶ κάκιστος ἀνθρώπων τραφεὶς
τοῖς σοῖσιν ἥκειν ἄλλα γ' ἐξ ἄλλων πάθη.

i. e. *atque equidem testis sum, qui pessimus hominum exstiterim, tuis alia post alia evenisse mala.* Locutus autem erat primum de patris calamitatibus, nunc de ipsius adversa fortuna dicturus est. Ad hanc transitum sibi parat versibus supra a nobis restitutis, sententia orationem suam fulciens, quam v. 1398 sq. ita exprimit: ὧν ἐγὼ μάλιστά μεν τὴν σὴν Ἐρινὺν αἰτίαν εἶναι λέγω. Conferas etiam versum 1335 sqq. Repetit igitur filius, ipsius culpam minime agnoscens, omnia mala sua a patris fatis vel, ut ipse dicit, Furiis. Accedit haec Polynicis sententia proxime ad ea, quae chorus in Antig. vv. 593—597 in hunc modum exposuit: ἀρχαῖα τὰ Λαβδακιδᾶν οἴκων ὁρῶμαι πήματα φθιτῶν ἐπὶ πήμασι πίπτοντ' οὐδ' ἀπαλλάσσει γενεὰν γένος, ἀλλ' ἐρείπει θεῶν τις οὐδ' ἔχει λύσιν. Speraverat vero Polynices patrem ob communem liberorum fortunam, cuius ille ipse contraxisset culpam, facilius misericordia commotum iri.

V. 1333 πρὸς νύν σε κρηνῶν καὶ θεῶν ὁμογνίων
αἰτῶ πιθέσθαι καὶ παρεικαθεῖν.

Hi versus minus prioribus interpretibus fuerunt suspecti, quam recentioribus, in substantivo κρηνῶν et jure quidem offendentibus. Rectissime monet Nauckius propterea hoc loco fontes invocari non potuisse, quod neque verbis, quae antecedant, neque illis, quae sequantur, ulla Oedipi patriae inesset significatio. Ipse addiderim nulla ratione Deos gentilicios, qui hic et ipsi commemorantur, simul cum fontibus invocari potuisse. Si Sophocles illos fontes, qui, ut scholiastes interpretatur, Oedipum aluerant, in mente habuit, non dubitari potest, quin certe articulum vel pronomen possessivum additurus fuerit. At substantivum κρήνων omni definitione hic est destitutum. Nihilominus Meinekius κρηνῶν defendere conatus est, quod ὁμογνίων simul ad κρηνῶν referendum sit. At numquam adhuc quidquam de fontibus gentiliciis audivi et Pindarici loci, cuius Meinekius mentionem fecit, prorsus alia est ratio. Nam σύγγονον ὕδωρ ea est aqua, quae cum aliquo eandem habet originem vel eodem loco orta est i. e. ad quam quis natus est et adolevit. Solet autem hominibus fontium, quibus alicubi per longius tempus usi sunt, memoria antiqua esse. Quare ii, qui e regione quadam, imo, qui morientes vita decessuri sunt, etiam fontibus, ut Philoctetes, Ajax, apud Schillerum Virago Aurelianensis valedicunt. At quae ratio hic inter Oedipum et fontes nescio quos intercedere putanda sit? Sunt illi fontes Corinthi vel Thebis, ubi Oedipus ne adolevit quidem, vel illis locis quaerendi, ubi patria exsul extrema

hac vitae parte vagatus erat? Implorare autem solemus alios homines sive per eas res, quae illis vel carae vel metuendae sunt, sive per Deos et homines, quibus ipsi cari sunt. Quarum regionum fontes Oedipo caros fuisse putare liceat? Quibus ipse carus fuerit? Manifestum est mihique persuasissimum Sophoclem hoc loco neque *κρηνῶν* scripsisse neque illa verba, quae a criticis sunt proposita nec ullo modo satisfaciunt. Quid Bergkii conjectura *πρός νυν καρήνων* sibi velit, confiteor me omnino non posse intelligere. Idem mihi de invento Wieseleri, viri in conjiciendo et alias minime felicis, *πρὸς νύν σε κλήρων* dicendum est. Per Thebas vero Oedipum invocatum facere, ut Nauckius fecit conjiciens *πρὸς νύν σε Θηβῶν*, sine dubio ob res supra a nobis expositas ineptum est. Prorsus nihil igitur interpretum studiis ac laboribus ad interpretandum vel emendandum hunc locum auxilii adhuc paratum est. — Haud insolitum erat Graecis *Κῆρας* invocare. Factum id est ab Hercule apud Eurip. Herc. fur. v. 870: *δεινὰ μυκᾶται δὲ Κῆρας ἀνακαλῶν τὰς Ταρτάρου.* Sunt autem *Κῆρες* eae Deae, quarum in potestate sunt ortus, vita, mors, fata hominum. Has cum Diis gentiliciis Polynices, ubi Oedipum in voluntatem suam perducturus erat, optimo jure poterat componere. Nam ut Dii gentilicii totius gentis, ita *Κῆρες* singulorum hominum sunt patronae. Ab his Diis repetenda sunt omnia ea mala, quae Oedipo cum suis patienda et erant et sunt. Quae quum ita sint, pro *κρηνῶν* putaverim *Κηρῶν* legendum esse. Quantopere vero Polynices amet illa numina appellare, quorum invidiae atque odio cum Oedipi fatis etiam sua deberi putat, versibus 1299, 1370, 1434 satis ostenditur. Afferam hic postremum tantum: *ἀλλ' ἐμοὶ μὲν ἥδ' ὁδὸς ἔσται μέλουσα δύςποτμός τε καὶ κακὴ πρὸς τοῖδε πατρὸς τῶν τε τοῦδ' Ἐρινύων.* Ceterum conf. v. 1326, cuius verba *παίδων τῶνδε* eodem modo respondent *θεῶν ὁμογνίων,* quo *ψυχῆς* respondet *Κηρῶν.*

V. 1370 *τοιγάρ σ' ὁ δαίμων εἰςορᾷ μὲν οὔ τί πω*
ὡς αὐτίκ', εἴπερ οἵδε κινοῦνται λόχοι
πρὸς ἄστυ Θήβης.

Meinekius libere ad hunc locum profitetur: *haec nondum inventus est qui vel emendaret vel probabiliter explicaret. Dobraeus tentabat σε δαίμων — ὅς αυτίκ', quem nemo sequetur. Intelligerem si scriptum esset οὔ τί πω, ἀλλ' αὐτίκ'.* De interpretatione verbi *εἰςορᾷ* dubitari nequit, quippe quod recte ab interpretibus explicatum sit. Sola verba *οὔ τί πω* difficultatem movent. Haec eo modo, quo Schaefero et Hermanno praeeuntibus Wunderus fecit, cuius notam Dindorfius dignam habuit quam in editionem suam reciperet, explicari non posse certissimum est. Raro autem existimo conjecturam aliquam tanta fiducia in medio proponi posse, quanta eam proferre licet, qua huic desperato loco succurremus. Velut infra v. 1395 Oedipus non *ἐγώ*, sed cum emphasi *Οἰδίπους,* sic hoc loco non *ἐμοῦ,* sed *Οἰδίπου* dixit. Consilio vero Oedipus coram filio, quem detestatur neque filium agnoscit, ipsius nomine utitur, quod sperare videtur illud ut daemonem degeneri filio metum incutiens ob oculos versaturum esse. Simul nomen suum adhibens filium ex omnibus partibus considerare jubet, quis sibi ille Oedipus sit. Substantivo autem *δαίμων* Oedipus non solum ad illam Polynicis sententiam respicit, quam jam supra exposuimus, sed etiam ad diras illas, de quibus v. 1375 sq. dicit: *τοιάςδ' ἀρὰς σφῷν πρόςθε τ' ἐξανῆκ' ἐγὼ νῦν τ' ἀνακαλοῦμαι ξυμμάχους ἐλθεῖν ἐμοί.* Germanice hunc locum restitutum vertere licet: *desshalb wird fürwahr der Rachegeist des Oedipus sofort strafend auf dich niederblicken, wenn anders diese Heere sich gegen Thebens Stadt bewegen.* Persona autem loquens ipsius nomen pro pronomine personali usurpat etiam vv. 3. 109. 626 h. f Ajac. 98. Aesch. Prom. 296.

V. 1380 τοιγὰρ τὸ σὸν θάκημα καὶ τοὺς σοὺς θρόνους
κρατοῦσιν.

In hoc versu potiendi verbo **κρατεῖν**, quod plerumque genitivum flagitat, hic vero cum accusativo est junctum, non esse locum multi fuerunt, qui intelligerent. Nemo tamen, quomodo verbum illud emendandum esset, invenit. Nam neque quod Hartungus proposuit κρανοῦσιν neque quod Nauckius voluit κρινοῦσιν verba sunt, quae de Diris possunt usurpari. At manifestum est Sophoclem πατοῦσιν scripsisse. Hoc verbo Sophocles etiam Ajac. v. 1335, Antig. v. 745 usus est. Idem significat λακτίζειν.

V. 1405 ὦ τοῦδ' ὅμαιμοι παῖδες, ἀλλ' ὑμεῖς, ἐπεὶ
τὰ σκληρὰ πατρὸς κλύετε τοῦδ' ἀρωμένου,
μή τοί με πρὸς θεῶν σφώ γ', ἐὰν αἱ τοῦδ' ἀραὶ
πατρὸς τελῶνται.

Jure dubitari potest, num Sophocles in tribus deinceps versibus idem pronomen τοῦδ' ter atque, ut videtur, diversas significans personas posuerit. Nam apparet v. 1405 pronomine τοῦδ' Polynicem se ipsum intellexisse. Porro non est credibile Oedipi diras solo hoc adjectivo τὰ σκληρὰ significari potuisse. Desideratur enim pronomen demonstrativum, quum pro τὰ σκληρὰ dicendum esset ταῦτα τὰ σκληρά. Quare existimaverim in v. 1406 pro τοῦδ' scribi oportere ταῦτ'. Jam licet Polynici de patre secundo loco τοῦδε πατρὸς dicere.

V. 1410 ἀλλ' ἐν τάφοισι θέσθε κἀν κτερίσμασιν.

Nemo umquam exemplis probavit θέσθαι ἐν κτερίσμασι Graecos dicere solitos esse. Imo neque dixerunt, neque dicere potuerunt. Quare putaverim σὺν pro κἀν scribendum esse. Praepositione σὺν adhibita jubet Polynices sorores in sepultura etiam solemnia dona sibi offerre.

V. 1435 σφῷν δ' εὐοδοίη Ζεὺς τάδ' εἰ τελεῖταί μοι
θανόντ' ἐπού̓μοι ζῶντι γ' αὖθις ἕξετον.

Interpretes non injuria in his versibus haesitaverunt. Ii vero reprehensione videntur digni, qui de sanando hoc loco justo citius desperati alterum versum totum tollendum esse censuerunt. De elisione vocalis ι recte Elmslejus et Hermannus disputaverunt, nihilominus recentiores editores ut Hartungus et Meinekius θανόντι ad μοί antecedentis versus attraxerunt. Burgesius pro εὐοδοίη intulit εὖ διδοίη, quod omnes post illum interpretes facilitate huius mutationis commoti receperunt. Equidem arbitror alterum quidem versum tollendum non esse, sed complura verba utriusque versus immutari debere. Retineo autem scripturam librorum εὐοδοίη, ob quam mihi cum nonnullis viris doctis σφῷν in σφὼ mutandum est. Deinde patet etiam hoc loco Sophoclem tragoediam suam Antigonam multis annis ante Oedipum Coloneum compositam in mente habuisse. Sophocles Polynicem, quasi hic divinasset sororibus olim fratris corpus sepultum egressis mala posse accidere, optantem facit, ut Jupiter sorores in itinere illo ita bene ducat, ut eos, quos supra rogavit, honores salvae possint sibi praestare. Ut haec Sophoclem dicentem faciamus, nihil est opus nisi τάδ' εἰ τελεῖταί μοι mutare in τάδ' εὖ τελεῖν ἐμοί. Sequenti versu Polynices exponit, cur hoc quidem optaverit. Animo enim praesentit mortuum se neque vero vivum in sororum manus olim rediturum esse. Haec vero cogitatio eum subit, quum sorores valedicens amplexu tenet, quod inde intelligitur, quod statim pergit μέθεσθε δ' ἤδη χαίρετόν τ'. Quae quum ita sint, amplectentis Polynicis ratione habita versum 1436 ita restituendum esse censeo: θανόντ' ἐπεί μ', οὐ ζῶντά γ' αὖθις ἕξετον. Ἐπεί μ' οὐ autem legere codic. Laur. A. scriptura ἐπού̓μοι jubemur. Quod vero Polynices postea vehementissime animo commotus exclamat οὐ γάρ μ' ἔτι βλέποντ' ἐσόψεσθ' αὖθις

quasi ante dicta iterum repetens, in eo hoc quidem loco offendere nequeo. Ceterum omittere nolo Philol. vol. XV, p. 114 ab Engero conjecturas Martini *φίλ' εἰ τελεῖτέ μοι θανόντι· καὶ γὰρ ζῶντί γ' οὐκέθ' ἕξετον* et Hertelii *σφὼ δ' εὐοδοίη Ζεὺς ταφὴν τελεῖν ἐμοί* in medio propositas esse. Quid vero de ipso Engero statuam ambos hos versus expellente non opus est dicere.

V. 1443 ταῦτα δ' ἐν τῷ δαίμονι
καὶ τῇδε φῦναι χἀτέρᾳ.

Recte requisivit Nauckius pro *φῦναι* verbum activae potestatis. Meinekius quoque ei assentiri videtur. Ille vero *κρᾶναι*, hic *φῆναι* scribere voluit. Propter antecedentem syllabam *δε* magis videtur commendari *δοῦναι*, verbum huic loco accommodatissimum.

V. 1488 τί δ' ἂν θέλοις τὸ πιστὸν ἐμφῦναι φρενί;

Ab editoribus duae huius versus interpretationes sunt propositae. Alteri scholiastae adstipulati ab Antigona sive choro Oedipum arcanum illud rogari, quod hic cum Theseo communicaturus sit, alteri a choro sive Antigona causam ex illo quaeri statuunt, cur Theseo adveniente mentis compos esse velit. Ab hac sententia steterunt et Musgravius, qui perperam *τὸ πιστὸν* in *τὸ πινυτὸν* mutavit, et Jacobsius, qui bene *τὸ πιστὸν* explicavit *τὸ ὀρθὸν τῆς φρενός*, *inconcussum mentis statum, cui quis confidere possit.* Qui contrariam defenderunt interpretationem, in *ἐμφῦναι* offenderunt multasque huius verbi emendationes frustra tentaverunt, Hermannus *ἐμφῦσαι* retento *φρενί*, Nauckius *ἐμφῆναι* addubitato *φρενί*, Meinekius *ἐμφῆναι λόγῳ* vel *ἐμφῦσαι λόγῳ* scribentes. Ut quid ipse sentiam, statim in medium proferam, fateor utriusque partis criticos veri aliquid vidisse. Jacobsium laudo, quod sententiam huius loci unus omnium rectissime explicavit, illos non vitupero, qui codicum lectionem *ἐμφῦναι* impugnaverunt. Quaero vero ex omnibus, qui his studiis dant operam, num quis umquam ex verbis Oedipi v. 1486 sq. concludere potuerit illum arcanum aliquod Theseo commisurum fuisse, quum propter multas alias res Thesei adventum posset exoptare. Et si re vera, pergo, Antigona vel chorus scivisset Oedipum cum Theseo arcanum communicare velle, num ideo putandum est illos tam importunos futuros fuisse, ut arcanum, dico arcanum, certo ipsis non destinatum, ex Oedipo quaererent. Quae quum ita sint, *φρενὶ* mihi salvum, *ἐμφῦναι* autem in *ἐμμεῖναι* mutandum videtur, quod quam saepe a librariis falso sit lectum in obs. crit. ad Soph. Oed. Reg. v. 1225, p. 12 exposui.

V. 1489 ἀνθ' ὧν ἔπασχον εὖ, τελεσφόρον χάριν
δοῦναί σφιν, ἥνπερ τυγχάνων ὑπεσχόμην.

Nauckius rectissime *τυγχάνων* interpolatum esse censuit. Frustra contra alii interpretes in hoc verbo defendendo multam operam consumserunt. Quam falsum sit quod nunc legitur, optime, ut ubique, cognosci poterit vera lectione restituta. Haec autem sine dubio respecto v. 582 h. f. *ὅταν θάνω ἐγὼ καὶ σύ μου ταφεὺς γένῃ* est *ἂν θανών*.

V. 1533 χοὔτως ἀδῇον τήνδ' ἐνοικήσεις πόλιν
σπαρτῶν ἀπ' ἀνδρῶν.

Duo exstiterunt viri, qui in his versibus offenderent, Schaeferus, qui *σπαρτῶν ὕπ' ἀνδρῶν* scribendum esse putaret, et Blaydesius, qui pro *τήνδ' ἐνοικήσεις* vellet *τήνδ' ἂν οἰκήσαις*. Neutri equidem possum assentiri. Verissime autem de Blaydesii conjectura Meinekius ad Electr. v. 798 monuit. Nihilominus et ipse haereo in verbo *ἐνοικήσεις* cum praepositione *ἀπὸ* inconcinno modo conjuncto. Accedit quod verbum *ἐνοικεῖν* quantum sciam nullo alio loco apud Sophoclem legitur aliusque verbi videtur explicatio esse. Postulamus autem verbum, cui tuendi et defendendi inest notio. Tale facillima mutatione parabimus verba *ΤΗΝΔΕΝΟΙΚΗΣΕΙΣ* in haec quatuor di-

rimentes *τήνδε γ' εὖ σχήσεις*. Dixit vero ipse Theseus v. 1764 sq. *καὶ ταῦτά μ' ἔφη πράσσοντα καλῶς χώραν ἕξειν αἰὲν ἄλυπον.* Cum lectione a nobis restituta optime congruit praepositio *ἀπό.* Vertere autem licet germanice hunc locum: *und so wirst du leicht* (*εὖ*) *deine Stadt vor den der Drachensaat entsprossenen Männern unzerstört erhalten.* Novum jam hinc nacti sumus exemplum depravati adverbii *εὖ.*

V. 1632 *δός μοι χερὸς σῆς πίστιν ἀρχαίαν τέκνοις*
ὑμεῖς τε, παῖδες, τῷδε.

Hermannus *πίστιν ἀρχαίαν* explicat, *quae firma maneat, olim antiqua futura.* At quis umquam hoc adjectivum sic possit reddere? Fides Thesei aut tum, quum Oedipus loqueretur, *ἀρχαία* jam erat aut numquam. Num re vera Oedipus de antiqua fide Thesei, quum eam nuperrime demum expertus esset, omnino dicere poterat? Hoc Nauckius videtur intellexisse, qui *ἀρχαίαν* corruptum esse pro certissimo habet. Mirandum igitur est, quod Meinekius rursus istius adjectivi suscepit patrocinium, lectores ad ed. suae Callimach. p. 136 relegans, quam mihi non licuit inspicere. At hoc quoque loco corruptela luce restitutae lectionis adfulgente facillime cognoscitur. Facili enim errore *ἀρχαίαν* ortum est ex *ἰσχυράν*, quo aptius epitheton ad *πίστιν* neminem umquam inventurum esse mihi quidem est certissimum.
